







00  
Kr

2947  
Am











20  
21


QUINQUAGESIMA  
QUESTIO-  
NUM PHILOSOPHICARUM BREVI-  
TER EXPOSITARUM,

QUAS  
Assistente DEO Triuno  
PRÆSIDE  
JOH. GERHARDO WINTHER,  
Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Hujus, ut &  
Physices Professore Ordinario, Præceptore  
atque Patrono suo singulariter Vene-  
rando, colendo.

*Publico Eruditorum Examine submittit & defen-  
dendas suscipit*

CÆSAR MEURER, Hassus  
Autor & Respondens

*D. 13. Septembris, horis locoque solitis.*



RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.  
M DC XCV.

A & A





GENEROSO ATQUE PRÆNOBILISSIMO  
DOMINO

Dno. CAROLO à MEYSENBURG,  
VIRI Perquam Generosi, Præstrenui, tum virtute, tum  
antiquo Natalium splendore, Familiæq; decore Prænobilis

DOMINI,

Dni. WILHELMI à MEYSENBURG,  
Serenissimi Hassorum Principis stabulo supremi Præfecti  
Eminentissimi, Domini Hæreditarii in Züschen, Retterodâ,  
Rhördâ &c. Domini, Patronique sui quâvis animi ob-  
servantiâ perpetuò suspiciendi

*Filio Natu Maximo.*

NEC NON

*Generoso & Prænobilissimo*

DOMINO

Dno. GEORGIO WILHELMO à MEYSENBURG,  
VIRI Perquam Generosi, Præstrenui, virtute quoque &  
antiquo Natalium splendore Familiæque decore Prænobilis

DOMINI

Dni. GEORGII à MEYSENBURG,  
Cœnobii Confugiensis supremi Præfecti longè dignissimi,  
Domini Hæreditarii in Züschen, Retterodâ, Glimrodâ &c.  
Domini Sui Benevolentissimi, Mecænatis atque Patroni  
multis nominibus indefinenter colendi

*Filio Natu Majori.*

*Ut & Viro admodum Reverendo, Clarissimo, nec non Doctissimo*

DOMINO

Dno. JOHANNI PAULO MEURER,  
Pastori Weydelbacensium τῆς διοικήσεως Spangenbergensis vigilan-  
tissimo, atque Retterodanorum τῆς διοικήσεως Lichtnaviensis fide-  
lissimo, Parenti suo omni filiali obedientiâ atque amore ad  
cineres usque colendo

*Hanc disputationem Philosophicam in studiorum suorum  
commendationem humillimâ animi submissione, fili-  
alique observantiâ dedicat, offert*

A. & R.






Quest. I.

## Quid sit Mens hominis?

§. I.

 Uantus de existentia animæ inter antiquos Philosophos videbatur esse consensus, de quo *Seneca Natur. quest. 7. c. 24.* ita scribit. *Habere nos animum cujus imperio & impellimur & revocamur, fatebuntur omnes, quid autem sit animus ille Rector Dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet quam ubi sit?* Tantus de illius essentiâ inter illos olim erat, & inter Recentiores hodie est dissensus. Unde nulla penè est secta, quæ sibi de ea non peculiarem formârit conceptum. Quod videre est non apud illos antiquos solum, puta Horatium, qui mentem pro particula Spiritus Dei habebat; Virgilium, qui eam æthereum sensum esse profitebatur; Plinium, animam nostram partem de cælo esse, & stellis cognatam cum Hipparcho statuentem; indè procul dubio, quòd cælos diversam planè à quatuor elementis essentiâ, eâque propter ingenerabilem & incorruptibilem habere, (sicut Aristoteles) senserit. Et inter reliquos Aristotelem Peripateticorum Principem, de quo *Raci Clav. Phil. nat. de idea Dei th. 18.* fatetur, quòd totus in eo fuerit, ut τὸ θεῖον rebus corporeis immisceret, mentemque nostram haberet pro actu vel proprietate corporis cœlestis. Quare illam 2. *de anima c. 2.* pro actu & perfectione corporis organici habet, sic ut sinè corpore esse

A 2

non





non possit, quia sit aliquid corporis & insit ob hoc unum in corpore &c. præsertim verò Sadducæos, qui tempore Christi in Ecclesia judaicâ mortuorum resurrectionem negabant, & idcirco immortalem esse animam infitias euntes, eam vel tanquam corpus subtile, vel ut modum corporis concipiebant: Sed etiam apud Recentiores, inter quos pessimum de animâ hominis sibi formavit conceptum ille veterum Sadducæorum imitator & novorum antesignanus Thomas Hobbes Philosophus Anglus, qui præter substantias corporeas nullas admittit, hinc indè in suis scriptis dicens: Substantias intellectuales esse terminos, qui se ipsos destruant, & nihil oppositum esse corpori, nisi accidens. Idque probare præsertim conatur in suo Leviathan, ubi cap. 34. ferè hunc in modum differit: *Corpus significat universaliter id quod locum occupat, estque pars realis universi; Universum nullam habet partem nisi corpus. Corpora quia variè apparent, variis accidentibus subjecta esse dicuntur: nimirum aliquando quiescere, modo calida, modo frigida &c. esse, & propter eam causam nominantur substantiæ &c. Juxta hanc vocabuli corporis acceptionem, corpus & substantia idem significant, & proinde vox composita substantia incorporea est insignificant, æquè ac si quis diceret corpus incorporeum; neque illa, neque vox immaterialis in scripturâ sacrâ usquam invenitur.* Unde tandem concludere conatur, animam hominis non esse substantiam immaterialem seu cogitantem, sed cogitationes hominis cum omni sua differentia ab actione & reactione corpusculorum seu spirituum in cerebro diversimodè dispositorum & agitatorum dependere. Qui fatalis error veræ religioni & pietati obicem ponens & atheismo fores latè pandens, dum cancroso ulceris instar serpit, cum à confusione idearum mentis & corporis & neglectu realis distinctionis inter res cogitantes & extensas fluat, de mentis essentia ejusque à substantiâ extensâ seu materiali differentia nunc paulò prolixiùs agendum est.

§. II.






§. II. Mens nostra in essentia suae cognitionem pervenit eadem methodo, quam detegit sui existentiam, videlicet per remotionem praedudiciorum sensuum, quibus occaecati homines in dictos errores incidunt. Hac igitur methodo incedens rejicit procul omnes species quas hactenus a sensibus accepit, seque in intima conscientiae suae convertens attendit ad notionem tam claram & distinctam, tamque certae veritatis, ut nemo & ne Scepticus quidem eam serio in dubium vocare possit, quae est *sui ipsius existentia* quatenus est *substantia cogitans*. Dum enim reliquas omnes ideas in dubium vocat, examinat, removet, affirmat, meditat, attendit, cognoscit &c. non potest non hanc notionem ut verissimam & prorsus indubiam habere, se ipsam existere rem dubitantem, negantem, affirmantem, cognoscentem, &c. uno verbo, cogitantem. Et sic habet ideam claram distinctamque sui, 1. Tanquam substantiae; cum clare distincteque percipiat actiones esse suppositorum. 2. Ut substantiae actu existentis; cum non entis non sit actio. 3. Cujus essentia est actualis cogitatio; & 4. Realiter ab omnibus aliis rebus, sive cogitantibus, sive extensis distinctae: quippe cum sui claram distinctamque ideam habeat excluso inde omnium aliarum rerum conceptu, existit etiam independenter ab omnibus rebus finitis. Quae ut clariore luce radient, unusquisque consideret, quae nos non aliam in nobis deprehendere posse notionem substantiae in genere, quam, quod sit res existens independenter ob omni subjecto inhaesionis; sed ipsa concipiatur ut primum subjectum alicujus proprietatis sive attributi, absque quo ipsa nec concipi nec apprehendi clare & distincte possit, quale in mente est *cogitatio*, quam sine ejus nec essentia nec existentia ad momentum salva esse potest; ex qua etiam omnes particulares cogitandi actus fluunt, & in quam ultimò resolvuntur. Nec minùs evidenter cognoscimus, mentem ab omni alia substantia extensa, quam existere praeter

ter





ter mentem hîc supponimus, *distinctam esse realiter*, eò quòd hujus primum attributum sit extensio, quæ in suos modos, videlicet magnitudinem, figuram, situm, motum, quietem, gravitatem, levitatem, duritiem &c. tanquam in tot species se diffundens à cogitatione ejusque modis, videlicet percipiendi & volendi actibus vicissim realiter differt, ità ut nullus cogitandi modus ulli corpori, velut substantiæ extensæ, nec ullus extensionis modus menti, tanquam substantiæ cogitanti competere possit, cum hujus sinè illa, & illius vicissim absque hâc claram distinctamque habeamus ideam. Ut ita mentem & corpus vi horum attributorum essentialium realiter, imò ferè plus quàm realiter differre extra omne dubium positum sit, quippe cum in nullo nisi summo genere, scilicet Entis, conveniant. Accedit, quòd vulgò res per suas proprietates, quæ essentialia attributa consequuntur, distinguere soleamus, & rectè: Non enim firmiter differentia realis duarum substantiarum fundamentum haberi vulgò putatur quàm hoc, quòd deprehendamus esse eas diversarum proprietatum, imò saltem diversorum accidentium communium subjecta. Nonne vulgò per hoc duo fratres, e. g. Johannes & Jacobus realiter differre creduntur, quòd hic coloris sit albi, ille subflavi vel subrubri, vel quòd hic Rinthelii ille Cassellis habitet? Nonne fat differentia realis ignem inter & aquam est, quòd ille calefaciat nos exsiccetque, hæc verò refrigeret & humectet? Nonne etiam distinguimus unam rem ab aliâ, propterea quòd differant vel quoad motum, vel quoad situm, vel figuram, magnitudinem? &c. Sat igitur differentia realis nobis erit mentem inter & corpus, quòd illam substantiam, cogitantem, hoc verò extensam esse clarè atque perspicuè cernamus, cognoscamus, percipiamus. Quid enim ab extensione magis differt, quàm cogitatio? Nonne hæc attributa sunt plus quàm realiter distincta? Quid enim participat perceptio intellectus & determinatio voluntatis de  
magni-





magnitudine, figurâ, motu &c. corporis, & vicissim hæc de illis? Nonne in mente intelligendi aut volendi facultas, divisibilitasque, impenetrabilitas, mobilitas in corpore, proprietates sunt quàm maximè distinctæ? Unde licet dubitare possim, an aliquod corpus ejusve modus existat, nullatenus tamen dubium manet, me, qui cogito, existere substantiam cogitantem, etiam tunc cùm vinculum, quod me cum corpore colligat, solutum & hoc corpus in sua principia resolutum erit; ea enim quæ sic realiter distincta sunt, etiam separatim existere posse, nemo sanæ mentis ignorat, non obstante intimæ mentis & corporis conjunctione in unicam personam, cum hæc unio non sit *natura*, qualis intellectus & voluntatis in mente est, sed tantum *compositionis* per mutuam videlicet actionem & passionem. Et hæc sententia omnibus tum antiquis, tum recentioribus Philosophis atque Theologis probata fuit. Thales Milesius & Pherecydes primi dicuntur fuisse, qui mundum à DEO & mentem à corpore distinxere. Hos secutus est Anaxagoras, Socrates. Plato in *Phædone* animam nostram, quando purè aliquid sumus intellecturi, tam immunem & distinctam à corpore esse supposuit, ut tanquam actus vel forma aut perfectio corpori non inhæreat, & ita judicavit animam secundum seipsam vitam habere, per se subsistere, non ita immersam esse corpori ulli, quin ab eo liberari, & rursus seorsim existere possit post hanc vitam. Hinc *Calvinus l. 1. Instit. c. 15. th. 6.* dicit, periculosum non tantum, sed stultum etiam esse, definitionem animæ à Philosophis petere, quorum nemo ferè excepto Platone substantiam immortalem solidè asseruerit, idque indè, quòd imaginem Dei in animâ considerârit. Hoc ipsum quoque sensit *Augustinus cap. 3. de quantitate animæ*, ubi sic ait: *Non enim ullo modo aut longa aut lata (anima) &c. corporea ista sunt, ut mihi videtur, & de consuetudine corporum sic animam querimus, & cap. 4. Anima est aliquid, licet non longa, nec lata nec vent<sup>o</sup> sit.* Item  
lib. de





*lib. de Civitate Dei cap. 5. Id solum cogitare potuerunt, quòd cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt, in se quippe habebant, quod non videbant &c. Mens hominis & ipsa rationalis anima natura, utique corpus non est &c. Non ergo nec terra, nec aqua, nec aër, nec ignis &c. Vide quoque in hunc finem prefationem Ludov. de la Forge in Tract. de Mente Humana, in quâ hujus placita de mente cum Augustini doctrina de ea prolixè confert.*

§. III. Cum igitur ex demonstrata mentis essentiâ, ejusque à corpore distinctione luce meridiana clarius sit.

1. Mentis nostræ, ut substantiæ singularis cognitionem evidentior, certior & prior nobis esse essentiâ & existentiâ corporis.
2. Cogitationem cum omnibus modis cogitandi, scilicet intelligendi, volendi, sentiendi, imaginandi, eligendi, judicandi &c. esse actus longè nobiliores, quàm quòd à corpore, utpote substantiâ ex sua naturâ inerte & otiosa proficisci queant, quamcunque etiam magnitudinem vel parvitatem, figuram, motum aliamve conformationem habeat: Certissimæ quippe veritatis sunt axiomata: Non plus esse perfectionis in effectu, quàm in causâ suâ, & effectum non posse nobiliorem esse suâ causâ.
3. Cogitationem sine extensione, mentem separatim à corpore existere posse.
- & 4. Nostrum intellectum à corporis commercio liberum & purum esse, dum circa Deum, animas aliasque res cogitantes occupatur: clarum & indubium quoque est Hobbesii suprâ §. I. notatas hypotheses 1. Existere tantùm universum rerum corporearum. 2. Corpus & substantiam idem significare: Nemo enim ignorat substantiam esse genus sub se habens mentem & corpus tanquam species sibi immediatè subjectas & realiter differentes. 3. Substantiam corpoream & incorpoream esse terminos insignificantes & se destruentes. 4. Cogitationem nihil esse præter motum corporeum seu particularum in cerebro variam actionem & reactionem ejusve continuationem.





tionem. §. Vocem *immaterialis* nusquam inveniri in s. scriptura: licet enim forte quoad literas non extet, quoad rem tamen in ea invenitur in omnibus, iisque innumeris locis, ubi. 1. Extat vox *Spiritus* in oppositione ad *corpus*. 2. Ubi exponitur vox *Spiritus* per *substantiam cogitantem*, & *cogitationes* ponuntur in oppositione ad *accidentia corporis*. 3. Ubi *anima hominis* asseritur *immortalis* in eadem oppositione ad *substantiam corpoream* vid. Matth. X. v. 28. Eccles. XII. v. 7. Esa. XL. v. 13. 14. &c. Joh. IV. v. 24. &c. &c. esse falsas, malas & insufficientes. Sed quia vir iste ex numero hominum carnalium, quales Augustinus vocat, fuit, qui dicente Calvino loco citato, potentias & facultates animæ ita præsentis vitæ affigunt, ut extra corpus nihil reliquum faciant, mirum non est, Eum ratiunculas quæsi-  
viffe, quibus claras mentis de se ipsa & Deo ideas obscuraret. Vide Ejus *Leviath. c. 3.* circa finem.

Quæst. II.

*Unde mens hominis existat?*

§. I.

**M**ens aut à seipsa existit aut ab alio: Illud non esse, omnes ferè agnoscunt, & infra demonstrabitur: Si igitur hoc, habebit existentiam suam vel à Parentibus per traducem, uti loquuntur, vel à DEO: Unde in duas partes præsertim eunt Philosophi. Altera enim pars ejus propagationem per traducem à parentibus propugnat: Altera immediatam ejus à Deo creationem. Nos ut veritatem nudam & ab omni dubitandi ansa liberam ponamus, coeptæ insistimus methodo.

§. II. Mens humana, cujus essentiam in cogitatione consistere, & quam per hanc à corpore seu substantiâ extensâ maximè realiter differre Quæst. I. demonstratum est, in-  
B spici-





spiciendo seipsam, deprehendit & quasi intuetur in se ipsa  
 præter sui ipsius aliarumque pulcherrimarum idearum  
 thesaurum, ideam seu notionem claram distinctamque Entis  
 Summi & summarum perfectionum, videlicet independentiæ  
 seu existentiæ à se ipso, æternitatis, immutabilitatis, omni-  
 potentia, omniscientiæ &c. tam inseparabilem à sua essen-  
 tia & indelebilem, ut ei connata jure dici possit. Et quia  
 necessaria existentiæ est una ex sumis illis perfectionibus, sine  
 qua Deum ut Ens summum & realissimum concipere non  
 possumus, nisi velimus eum concipere ut ens summè per-  
 fectum, & simul ut summè imperfectum sive non existens,  
 quod manifestè implicat; manifestum quoque est, ideam  
 hanc, summarum perfectionum repræsentativam, menti  
 nostræ innatam aliam causam exemplarem, quæ Deus non  
 sit, habere non posse: cum enim nec mens nostra, nec  
 alia res finita infinitarum perfectionum, quas idea illa no-  
 bis exhibet, capax sit, eas vel formaliter vel eminenter pos-  
 sidendo, necesse est, extra nos existere Ens infinitum, quod  
 ideæ illius exemplar sit. Jam mens nostra attendendo ad  
 ideam Entis perfectissimi sibi connatam clarè distinctèque  
 cognoscit, se non habere existentiam. 1. à se ipsa, seu non  
 esse sui ipsius autorem: Etenim per ideam illam plurimas  
 perfectiones cognoscit, quas sibi dedisset, si à se ipsa existe-  
 ret, nisi eam sibi ipsi injuriam inferre voluisse, se defrau-  
 dando tot perfectionibus, dicamus: Patet enim longè dif-  
 ficilius fuisse illam, ut substantiam cogitantem ex nihilo  
 emergere, sive existentiam sibi dare, quàm perfectiones,  
 videlicet plurimarum rerum, quas ignorat, scientiam,  
 aut quàm plurima opera, quæ vires ejus excedunt,  
 efficiendi potentiam &c. quæ substantiæ illius attributa  
 tantum sunt, sibi acquirere. Præterea si mens nostra sui  
 ipsius autor existeret, sibi quoque conscia esset modi, quo  
 ex nihilo propriis viribus prodierit; sed verò hujus modi  
 nullam omninò ideam habet, indubio argumento, se non  
 exi-





existere à se. 2. Cognoscit se non esse ab *alia causa* minùs perfecta, quàm est Deus: cùm enim sit substantia cogitans ideam Entis perfectissimi sibi innatam habens, evidenter cognoscit, illam causam etiam esse debere substantiam cogitantem & quidem omnes perfectiones in se continentem, quæ in idea Dei repræsèntantur, quia semper tantundem ad minimum perfectionis in causa est, quàm in effectu reperitur; cùmque manifestò implicet, duo existere Entia summa, independentia, æterna &c. liquet, eam causam existentiaæ mentis, quam quis forte præter Deum assignare conaretur, esse ipsum Deum, omnis realitatis in creaturis autorem. In specie verò clarissimè quoque cognoscit, se non existere ab hominibus illis, à quibus magis quàm ab aliis dependentiam habere putatur, qui propterea parentes vocantur: idque nec per *productionem*, cùm & ipsi dependenter à summo Ente existant, & eminenti virtute mentem aliam ex nihilo producendi careant: nec per *generationem*, aut sic dictam *propagationem per traducem*, sive crassum illum ex semine cum Tertulliano intelligamus, quem nemo amplius, quantum scio, defendit hodie, sive subtilem, quo cum Scaligero propagari eam ab anima parentum credunt, sine ulla alterius vel divisione vel diminutione, prout flamma à flamma, lumen à lumine accendi & propagari videtur. Verùm enim verò, cùm 1. tradux significet propriè surculum vel germen à planta decerptum & alii atque alii arbori insitum, & hæc vox per metaphoram nimis catachresticam ad controversiam de origine animæ rationalis sit traducta. 2. Mens inspiciendo sui ipsius ideam clarè percipiat, se, ut substantiam cogitantem, proindeque omnis extensionis & modi extensionis, scilicet magnitudinis, figuræ, motus &c. omninò expertem, ideoque indivisibilem, modum propagationis sui per traducem planè respuere, utpote qui actualem divisionem, vel saltem motus communicationem, alienam à substantiis






cogitantibus ob differentiam earum à corpore omninò realem, manifestè involvit. Impossibilem esse flammæ vel luminis propagationem absque motus particularum communicatione, certum est: & mentis incorruptibilitatem seu immortalitatem, quæ ipsi per naturam suam competit, stante illa hypothese, factam tectam non manere, omnes fateri coguntur. Non dicam nunc animæ per traducem propagationem nec ab utroque parentum, nec à singulis, patre scilicet vel matre seorsim, citra monstrosam compositionem vel divisionem fieri posse. Reliquum igitur est, ut mentis humanæ originem ad Deum, primam causam, referamus, fatendo, Deum illam creando corpori infundere seu unire, & uniendo seu infundendo creare.

§. III. Objicitur quidem, necesse esse, statuamus, propagationem animarum humanarum per traducem, nisi velimus aut peccatum originale negare, aut Deum creatorem mentis, simul hujus peccati autorem agnoscere: Enimverò si DEUS mentem puram creat & corpori jungit, peccatum originale cessabit; sin verò impuram & peccato illo infectam, autor quoque peccati illius sit, necesse est. Sed verò tantum non est hujus objectionis pondus, ut à verâ sententiâ me dimovere possit. Nam supposito, veram esse responsionem illam communem Theologorum, qui Deum hoc in negotio nolunt considerari ut creatorem, sed ut judicem, privantem vel non donantem animas ex justo judicio originali rectitudine, quâ se per peccatum primorum parentum, in quibus foederaliter existentes, simul peccarunt, indignas reddiderunt: Respondeo breviter, animas protoplastorum per primam inobedientiam se se reddidisse mancipia *diaboli*, auscultando ejus vocem & voci, *carnis*, sperando ex aspectu & esu fructus vetiti voluptatem carnalem, & *mundi*, indè sibi promittendo cognitionem summam, æqualitatem cum DEO, & gloriam divinam, atque sic amisisse clarissimum intellectus lumen, & plenum voluntatis

tis





tis regimen in affectus, sed insuper sibi conscivisse infelicem thesaurum perversarum inclinationum seu propensionum de omnibus judicandi eaq; agendi secundum cœcum sensum & passionum instinctum atque impulsum, posthabitis & spretis sanctis divinæ legis dictaminibus; qui perversus habitus auscultandi intemperatis corporis motibus & passionum incitamentis à protoplastis translatus fuit in liberos & adhuc transfertur, sic ut animæ liberorum à primo momento, quo corporibus suis unitæ sunt, non minùs rectitudine illà & potestate regendi affectus destituantur, quàm primi nostri parentes lapsi. In qua carentia & habituali corruptione s. scriptura labis originalis rationem ponere videtur Ezech. XVI. v. 4. & seqq. Jer. XIII. v. 23. Gen. V. v. 3. & 6. v. 5 & 8. v. 5. Unde liquet hæc veritas animam hominis impuram quidem per se à Deo non creari, sed verò corpori corrupto unitam in pœnam primi peccati in Adamo commissi, ut pote in quo fœderaliter & moraliter, ceu capite totius generis humani, erat, originali rectitudine & sanctitate destitui justo DEI judicio, atque ad exequendum affectuum & appetituum carnalium dictamina maximè proclivem esse: Ut ita corruptio illa tam à corpore sit, quatenus Delilæ instar motuum suorum lenociniis animam seducit; quàm ab anima, quæ jam effœminata ob perditum suam culpam robur, & regimen in corporis sui motus, se abripi in transversum patitur facilè, instar viri uxoris, uxori in omnibus morem gerentis & placere studentis, de quo eleganter Poëta: *Uxori nupsit turpiter ille sua.* Ex quibus nunc clarè patet originalem labem, rejectam traducis hypothese, & stabilitam immediatam creatione, nec ad Deum creatorem, tanquam causam, referri posse; nec ipsum originale peccatum negandum esse; sed ipsam mentem corpori suo unitam corruptionis propriæ autorem existere.

*Quest.*






Quest. III.

*Quomodo mens humana corpori unita sit?*

**M**Entem humanam corpori organico amico conjugii foedere junctam esse, palam est: Quomodo verò hæc duæ substantiæ non obstante earum ferè plus quam reali distinctione tam arctè uniri & in unam personam coalescere possint, dubium & explicatu difficile semper fuit. Quia nec ad modum duorum corporum fieri potest hæc unio cum altera substantia tantùm superficiem habeat, altera ejus expers sit: nec duarum mentium, quæ voluntate & propensione junguntur; corpus enim non cogitat: Nec substantiæ & modi ejusdem seu perfectionis; cum utraque pars substantia sit, nulla alterius accidens. Ad exponendum ergò hanc unionem necesse est, ut concipiamus scilicet quandam inter duas illas substantias, quæ ad se mutuò referantur, cujus fundamentum sint certi harum substantiarum modi. In mente verò duos generalissimos deprehendimus cogitandi modos, scilicet *intellectum* & *voluntatem*, & in corpore præter alios extensionis modos ipsum etiam *motum*, quibus ad se invicem referri concipiuntur; sic ut motus partium corporis, signanter spirituum animalium continuati ad commune sensorium (quod in cerebro ponimus, sive glandula pinealis id sit, sive alia ejus pars, quod nunc in medio relinquimus) mentem afficiant, certas repræsentando ideas certarum & definitarum perceptionum signa; & vicis im mens per voluntatem determinet motum spirituum animalium in certarum partium corporis nervos ad excitandos certos partium motus. Ex quibus patet, unionem hanc in mutuo *actionis* & *passionis* mentem inter & suum corpus commercio consistere; dum certos motus

cor-





corporis, quorum intuitu corpus *agere* censetur, comitantur certæ mentis perceptiones, quæ hujus *passiones* sunt, quatenus per receptionem idearum materialium à spiritibus super communi sensorio menti representatarum fiunt; & rursus certas volitiones, quæ solæ mentis *actiones* sunt, comitantur certi motus membrorum, qui corporis *passiones* hæc censendi sunt. Quamvis enim *velle* sit actio mentis intra ipsam mentem terminata, nec ex se & suâ naturâ transiens in corpus; & vicissim motus partium corporis maneat in ipso corpore, & per naturam suam in mentem nullo modo transire possint, unio ipsa tamen quàm notissima nobis est, & aperta in immediatis suis effectibus, videlicet affectibus, sensibus utriusque ordinis & appetitibus; licet modus ejus inexplicabilis sit, & inter arcana DEI numerandus, qui per ineffabilem suam sapientiam, potentiam & libertatem eam in naturâ humanâ immutabilem sanxit legem, ut *velle* nostrum diffundatur in corpus nostrum, & hoc mediante in alia id circumstantia pauca; & vicissim corporis *motus* in animam nostram transferantur, eo, quo demonstratum est, modo. Plura de hac materia vide in *Genlingii γυναικ. θεωριον sect. 2. th. 2. de insp. sui.*

*Quest. IV.*

*Quando mens uniatur suo  
corpori?*

**A** Nimiam corpusculo foetus in utero non uniri à DEO, antequam illud secundum omnes partes, præsertim cerebrum, proximum mentis domicilium & organum, arteriarum, venarum, nervorum etiam & musculorum systemata, ritè conformatum sit, ut justam firmitatem, quæ ad mutuum actionis & passionis commercium requiritur, habeant, sine quâ conformatione partium organicâ, sanguinis, spiri-





spirituum, lymphæ cæterorumque fluidorum motus circulatorius consistere nequit, à quo vita corporis dependet, necessario prærequisita ad vitam totius hominis, quæ in expositâ unione sita est, & per sensus, appetitus, affectus atque motus membrorum voluntarios se prodit. Sicut enim corpori mortuo mens unita manere nequit, sic eadem etiam corpori per generationem nondum perfectè conformato jungi non potest. Hic ordo naturalis est, eumque Deus in generatione constituit, sicut in primâ rerum productione olim instituit: Prius enim elegantissimam mundi machinâ, & in hac terram futurum hominis domicilium; inque hâc omnes bestiarum, piscium, & vegetabilium species produxit Deus, quàm Hominem habitatorem ejus conderet: priusq; corpus hominis sexto creationis die ex limo condidit & quidem respirans, atque ideò vivum Gen. II. v. 7. quàm ipsi jungeret animam rationalem: Sic ut hominis vita corporalis in respiratione, & hanc comitante motu sanguinis, spirituum & cæterarum partium, si non tempore, saltem naturâ prior fuerit vitâ rationali, & formatio corporis, creatione mentis. Quàm certa verò hæc sunt, tam dubium est & abstrusum, quotâ à conceptione die vel septimanâ anima corpusculo humano in utero matris uniatur, idque verus homo esse incipiat? tamen in genere sciendum est, certum conjunctionis hujus terminum definiri non posse, cum mens uni corpusculo citiùs, alteri tardiùs uniri videatur; præsertim si vera sit illa Jurisconsultorum & Medicorum sententia, partum septimestrem & octimestrem esse posse perfectum, ideoq; legitimum, quæ tamen in foro naturæ nondum usque adeò evidens est, ut omni dubio careat. Interim hoc suffragante nobis ratione & experienciâ Anatomicâ, imprimis Cl. *Harvai*, qui in grandiorum animalium dissectorum uteris, ad quæ hominem refert, ante primi ab ingravidatione mensis lapsum, nullam genituram deprehendit, indeque rectè judicavit, seminis liquorem statim à commixtione carnali rursus





ex utero effundi intro manente solo ejus spiritu, ovulum in ovario muliebri foecundante, extra controversiam ponendum est, ante diem quadragesimum à conceptione unionem fieri non posse; cum ovulum muliebri foecundatum (in & ex quo generationem corporis fieri dicimus rursus anatomicam experientiam suffulti) ex ovario muliebri per oviductum seu tubam Fallopiam in cavitatem uteri ante trigesimum diem non descendat, & exactis novem circiter vel decem septimanis à conceptionis die unionem factam, foetumque verum hominem esse: Propterea quòd ab illo ad hunc usque terminum corpusculi in ovo utero jam adhærente conformatio tam perfecta evadere potest, ut id ad suscipiendos motus animales (secundum quos, exclusis motibus naturalibus, unio facta est, idque propter voluntarii sunt) exercendumque mutuam actionis passionisque commercium, satis firmum sit; licet motus illi infantis matri ante decimam sextam & plerumque vigesimam gestationis septimanam vix sensibiles sint. Hactenus de vita hominis, nunc de ipsius morte agendum quidè esset, sed, cum oppositorum opposita sit ratio, facilimè mortis causa & modus ex dictis dari poterit. Cumque inter terminum vitæ hominum ante & post diluvium valde notabile sit discrimen, de longævitate illorum patriarcharum, & brevitate nostræ vitæ aliquid dicturi, sequentem formam quæstionem.

Quæst. V.

*Unde sit, quòd nos Patriarchis  
antidiluvianis ocyus moriamur?*

§. I.

**S**eneca præclare *lib. de brev. vita* probat, vitam hominis satis longam esse, si tota bene collocaretur. *Non enim accepimus brevem vitam sed facimus ipsi, nec inopes ejus, sed prodigi sumus.* Quod licet ita sit, vita tamen nostra, comparata cum vita patrum ante diluvium, brevis sanè est, ut manifestum est. Corporis machina cum constet  
C  
fibris





fibris innumeris, inter quas plurimi interjacent tubuli quibus succus alimentitius percolatur, necesse est, ut humidum cum calido concurrat, vicesque pabuli humidum fervet, quò calor foveatur; calor verò humidum digerat, ut omnes in partes corporis motu circulari diffundatur. Non ergò, sicut nec in absentia seu separatione animæ à corpore ( prout vulgus autumant ) ponenda mors, corpus accessu animæ rationalis animari dicimus; sed in debita proportione temperaturæque calidi & humidi corporum consistere vitam, constanter affirmamus, quum corporis viventis interitus non oriatur priusquam humidum vel calidum, vel proportio inter utrumque notabiliter deficiat. Cum autem impossibile non sit, quin proportio illa à nobis conservari ad tempus queat, nec aliam quisquam exiget rationem quàm illos Patres diutius nobis vixisse adstruamus, quàm si ostendamus, illos & modicè victitando, & tantummodò iis utendo rebus, quæ sanitati proderant, feliciter produxisse vitam suam. Simplicioribus enim usi fuere victibus, plantis, herbisque contenti salubribus, quæ magis conservandæ quàm destruendæ corporis serviebant valetudini. Serotina in ipsis, quæ hodiè pumilionum enervat vires, exanguesque reddit homines, erat Venus. Et quam plurimis aliis sanitati conservandæ conducibilibus rebus, quarum penes nos usus in abusum sanè conversus est, utentes, prolongarunt vitam. Contra nos per duos potissimum corrumpimur: *nativitate & educatione.* *Nativitate*, quatenus magnam hausit temperamentum hominis à parentibus corruptionem, cuius sensim augentur semina in majoris perniciæ messem. Mentis enim nostræ immerse corporibus amiserunt regendi affectus imperium; Unde & ab ineunte ætate ad corpora nostra referimus omnia ut, quæcunque obvia, modò gulæ placeant, affectusque nostros delectent, nec corpora titillare desinant, appetamus. Et fieri non potest, cum diversarum nationum personæ non rarò conjugio jungantur, quin ex pari connubio par, ex dispari dispar corporum habitus, ætasque orientur, præsertim si & parens uterque dispari fuerint temperamento, ingenio ac ætate, & hinc in majoribus non multum dissimile deprehensum est.





§. II. Plus autem detrimenti corporibus à rebus non naturalibus, ut Medici vocant, accessit per *educationem*, quæ vel matrum vel novercarum procuratione, nostrique provisione fit. Quàm curiosè enim, cum lachrymas nostras abstergendo suppressere non valeant, corporibus provident? Quàm miro modo nos custodiunt? aëraque & frigoris asperitatem non tantùm fugimus cum ipsis, sed etiam variâ arte æstum excitando propemodum urî gaudemus? Quàm exquisitè enim nunc pleriq; à primâ usque infantiâ vestimur præ ævo vetere? Quàm studiosè cavemus ne partem aliquâ nudam aspiret aura horridior; unde vestimentis non solum necessariis ad obtegenda corpora utimur, sed & ne manus sævienti prostent aëri, nec facies ventorum inclementiam, solisque vibratos radios sentiant, exasperenturque & chirothecis & larvis hanc aufugimus sævitiam. Ignota majoribus fuere & *hypocausta*, quæ vocant, omnibus penè nationibus hodiè frequentissima, ferenda quidem, imò laudanda, nisi plurimi iis torreri affectarent potius, quàm ut hyemis rigorem emollirent. Nisi madeamus, imò sudore diffuamus, malè nobiscum agi credimus. Quid de lectis nostris dicemus mollissimâ plumâ suffartis, quorum vicem humus gessit quondâ, aut tenuis herba. Certè & hi siccant multùm, corpora nostra, eoque plus, quò molliores sunt, qui mos hodiè communis est: Non damnandus planè ipsorû usus, eum tamen calidioribus nonnihil & aridis corporibus minimè convenire nullus dubitabit, quum immodico calore non tantùm lymphæ nutritia absumatur, sed pori etiam, quò meatus calido ad egrediendum pateant, laxantur nimis, ut diffletur innatus calor insensibiliter & sensim. *Plures igitur gula quàm ferrû interneconi dedit.* Quanta enim ab alimentis corpora non accipiunt incomoda? Non urgebo panis hodiè quàm olim majorem esse usum; lacte verò quàm paucissimos non adultos tantùm, sed & adolescentes, nunc vesci. Ne carnes quidem, prout à majoribus, expetuntur à nobis in cibum. In gulæ libidinem enim omnia melle, saccharo, omniq; aromatum genere condiuntur. Imò ipsa condimenta quàm plurimis pro cibo sunt. Quàm infinita





varietas portentosis ganeæ magistris est excogitata pro cibo simplici! Quantâ dapum copia non onerantur mensæ, farciunturque accumbentium ventres! Quæ commestationib' non exforbentur! Nonne combibonum aviditas potandi etiam fortissima vina nimis familiaris est? Nonne, cum *mores temperamentum corporis sequantur*, affectib' frænum laxatur nimis? Quos non insolita repentinaq; exanimârunt gaudia? Nonne cæteri affectus, amor, ira, tristitia, odium, cupiditas, risus, æstimatio, despectus, superbia &c. perniciosum sanguini spiritibusque conciliant motum, mortem accelerant? *Nil cupiditati satis est, quum nature satis sit etiam parum.* Quia itaque, quæcunque victitando vel potando capiuntur, non summam tantum cutem rumpunt, sed pectus etiam & viscera dividunt, miserabiles exclamemus eos, quorû palatum non nisi ad pretiosos excitatur cibos. *Discamus ex Seneca lib. de brevit. vit. 7. totâ vitâ, quâ vivamus, moriamurq;, totâ discamus vitâ.*

§. III. Ast, inquires, quâ tandem interiére ipsi Patriarchæ antidiluviani, cum sat modicè vixerint, nec nisi simplicissimis usi fuerint victib', qui ipsis haud obfuerunt; Venusq; pedè figere nequiverit, neq; pestilens aër tunc affârît ipsos, cur morte tandè occubuere? R. Licèt quæ ab extra accessere haud tantum, quantum hodie, ipsis nooumento fuerint, sufficiebat tamen, quòd interni mot' cum valde inordinati essent, eos ipsos temporis successu interemerint. Primum modò inspiciamus hominem; post lapsum affectus nequaquam subiecti fuerunt voluntatis imperio. Ipse enim cum amisisset dominium in affectus per lapsum, seq; hoc antea habuisse apud animû consideraret, non poterat fieri, quin hoc ipso gigneret conscientia rodens, accusansq; eum de malo perpetrato. Accedebat & dolor propter amissum filium fratricidio à Caino è medio sublatum. Hæc, & quæ plura alia, maximoperè ejus excruciarunt corpus, ut tandem sanguinis & spirituum motui circulari obicem posuerint, corporisque machina temporis successu ad instar horologii attrita defecerit. Idè de cæterorû Patrum ad diluvium usq; vitâ cogitari volumus.

F I N I S.



01 A 6559

ULB Halle 3  
002 936 151




Sb.

Vb 17










ION  
Collici  
itudo  
er me  
ermin  
o rece  
septi  
mpus  
itera  
. Ad  
aliva  
Etum  
ntitas  
Tet.  
io, in  
ptya  
sed  
as be  
d nij  
idiva  
nari  
, ad  
mata  
terit  
nata  
im  
le n  
n ja  
pro  
s ad  
efin  
æ f  
falil  
uru  
n int  
gru  
I



20  
21

MENTAS


# QUÆSTIO- NUM PHILOSO- PHICARUM BREVI- TER EXPOSITARUM,

QUAS  
Assistente DEO Triuno  
PRÆSIDE  
JOH. GERHARDO WINTHER,  
Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Hujus, ut &  
Physices Professore Ordinario, Præceptore  
atque Patrono suo singulariter Vene-  
rando, colendo.

*Publico Eruditorum Examine submittit & defen-  
dendas suscipit*

CÆSAR MEURER, Hassus  
Autor & Respondens

*D. 13. Septembris, horis locoque solitis.*



RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.  
M DC XCV.